

exprobrando defectus : « Debet quis abstinere, » inquit, « ab improperio, seu convicio defectus nature, videlicet non vocando illegitimum, vel « cæcum, vel hebetem, vel stultum, vel hujus-  
« modi; » idque in Phenenna exemplificavit, in-  
quiens : « Phenenna quæ multos habebat filios,  
« quia exprobravit Annæ et improperabat, seu con-  
« viciabatur ei, quod Dominus concludisset vulvam  
« ejus et quod sterilis esset, punita est quia filios  
« amisit. »

Michol verbis injuriosis derisit Davidem, qui ex  
mentis devotione, in conspectu totius populi in  
processione arcæ saltaverat, inquiens : *Nudatus est,  
quasi nudetur unus ex scurris;* paulo post vero sacer  
textus subjungit : *Igitur Michol filia Saul non est  
natus filius, usque in diem mortis suæ.* Hæc autem  
filiorum orbitas, una erat ex probrosioribus maledi-  
ctionibus sexus illius. Pueri item qui Elisæum  
conviciabantur, clamantes : *Ascende, calce, ascende,  
calce* per experientiam didicerunt quam exacte  
divina justitia in sua bilance improperia trahat,  
etiam illa, quæ a linguis profertur eorum qui ob  
teneram ætatem malignitate interna peccare non  
dum poterant : *Nam egressi sunt duo ursi de saltu et  
laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.*

1. — Multis Christus, et in vita et in morte, infes-  
tatus est calumniis, sed, *tres sunt qui testimonium  
dant in celo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus,* ad  
hoc ut iuxta debitum juris ordinem, falsissimæ istæ  
calumnie Christi humanitati et divinitati impositæ  
detegerentur; Deus enim calumnias earumque falsi-  
tatem detegere solet.

Nonnulli haud immerito observant et causam  
inquirunt, cur Naboth os suum non aperuerit,  
neque causam suam per preces et supplicationes  
divinæ justitiæ tribunali recommendaverit, cum  
Suzanna e contra dixerit : *Deus æternæ, qui abscon-  
ditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant,  
tu scis quantum falsum testimonium tulerunt contra  
me et ecce morior, cum nihil horum fecerim.* Respon-  
detur Deum in duabus hisce personis demonstrasse  
voluisse calumnias patientium effectus; aliqui enim  
se Deo recommendant, in eumque solum totaliter  
confidunt, siquidem *salvos faciet filios pauperum.*  
*Psal. lxxi, 4.* Ita Suzanna fecit. Alii vero calumnias  
patienter et sine querela, aut lamento sustinent, et  
in silentio et spe est fortitudo eorum. *Isa., xxxii, 28.*  
Talis fuit innocens Naboth, qui tyrannidem Jezabelis  
adeo violentam esse dicebat, ut nullus apud eam se  
defendendi locus sibi relictus esset. *Erat cor ejus  
jädens in Domino.*

*Eccli., ii,* elegans illa et efficax Jesu filii Sirach  
oratio describitur, ex qua eximia illius erga divi-  
nam Majestatem gratitudo egregie relucet, eo quod  
calumniarum falsitatem detegendo, ipsum a con-  
gestis in eum imposturis clementer et provide  
defendisset : *Confitebor tibi, Domine Rex,* inquit, et

*collaudabo te Deum Salvatorem meum; confitebor  
nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es  
mihi, et liberasti corpus meum a perditione.* Ipsum  
vero ibi de calumniis loqui, quas patiebatur, verbis  
sequentibus declarat : *A loquo lingue intyque, et a  
labiis operantium mendaciam.* Et paulo post dicit :  
*In medio ignis non sum Salvator humanum;* quibus verbis,  
pestilentialem hanc zizaniam ignem appellat.

## VERSUS 27.

*Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio  
mecum estis.*

*Et vos testimonium perhibebitis.*

1. — Enimvero tametsi videri potuisset, divinam  
Spiritus Sancti Christo factam attestationem  
debuisset sufficere, attamen Salvator noster humano  
quoque testimonio uti voluit, ab Apostolis perhibito,  
utpote qui oculati sanctitatis suæ testes fuerant :  
« Ut concurrentibus undique, » inquit Lucas Bru-  
gensis, « omnis generis testimoniis divinis et huma-  
« nis opprimerentur refractarii Judæi et iudice  
« universo mundo damnarentur perfidiæ erga  
« Christum; » inexcusabiles enim erant, neque se  
justificare poterant, dicendo, se illum non cogno-  
visse, ac proinde tanquam rei proci merebantur  
et derelinqui.

2. — Porro Apostoli adimpleverunt quiddam  
Magister ipsorum Christus eis prædixerat, siquidem  
uti in S. Joanne, I Ep., 1, 3, legimus : *Quod audie-  
mus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus  
et manus nostræ contractaverunt de Verbo vitæ et alia  
manifesta est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus  
vobis.* S. Petrus, II Ep., 1, 8, pariter ait : *Hanc vocem  
nos audivimus de celo allatam, cum essemus cum  
ipso,* etc. Hunc suscitavit Deus a mortuis et hujus nos  
testes sumus : *Act. Apos., ii, 32.* Et alibi in iisdem  
Actibus Apostolorum, iv, 33, legimus : *Virtute  
magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis  
Domini nostri Jesu Christi.*

3. — S. Augustinus, *tract. ix in Joan.,* ait :  
« Perhibuit Spiritus Sanctus, perhibebitis et vos,  
« quia enim ab initio mecum estis, potestis prædi-  
« care quod nostis, quod ut modo non faciatis,  
« illius Spiritus plenitudo non adest vobis; dabit  
« vobis fiduciam testimonium perhibendi : *Charitas  
« Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum  
« Sanctum,* qui dabitur vobis, quæ utique Petro  
« adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interro-  
« gatione perterritus, non potuit verum testimo-  
« nium perhibere, sed contra suam pollicitationem  
« timore magno compulsus est ter negare; timor  
« autem iste non est in charitate, sed *perfecta cha-  
« ritas foras mittit timorem.* » Idem quoque S. Doc-  
tor comparationem inter S. Petrum ante adventum  
Spiritus Sancti et eundem prout post Pentecosten

constitutus erat, his verbis instituit : « Quem negan-  
« tem doluerat, stupeat predicantem, ibi linguam  
« illam videat ad fiduciam a diffidentia et ad liber-  
« tatem a servilitate translata, tot linguas inimico-  
« rum convertere ad Christi confessionem, quarum  
« non valendo unam ferre, versa fuerat in negatio-  
« nem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ,  
« tanta spiritus plenitudo apparebat, tanta de ore  
« prædicandi preliosissima veritatis pondera pro-  
« cedebant, ut ingentis multitudinis adversarios  
« interfectores Christi Judæos, faceret pro illo pa-  
« ratos mori, a quibus cum illo formidabat occidi. »

4. — Jansenius proinde hoc testimonium Apo-  
stolorum Spiritui Sancto attribuendum esse existi-  
mat; siquidem miracula, quæ faciebant, in hujus  
Sancti Spiritus virtute fiebant : « Testificabatur  
« Spiritus per Apostolorum ora de Christo, non  
« enim ipsi erant, qui loquebantur, sed Spiritus  
« Patris, qui erat in eis. »

*Quia ab initio mecum estis.*

5. — Porro hoc nequaquam ita intelligendum  
est, ut Lyranus, in *Joan.,* notat, quasi Apostoli a  
primis annis vite ejus cum ipso fuerint, « sed ab  
« initio prædicationis, quando incepit docere et  
« miracula facere. » S. Thomas intelligendum esse  
dicit : « Ab initio prædicationis et operationis mira-  
« colorum, ut possint testari de viso et auditu, »  
S. Petrus quando electionem alterius Apostoli in  
locum Judæ faciendam proposuit, *Act. Ap., i, 21,*  
dixit : *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congre-  
gati in omni tempore, quo intravit et exiit inter nos  
Dominus Jesus, incipiens a baptisate Joannis.*

## CAPUT XV, VERSUS 4.

*Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*

1. — S. Cyrillus Alexandrinus dicit causam, cur  
Christus id quod Apostolis evenire debebat, præ-  
dixit, non fuisse, ne forsitan ipsos perterrefaceret,  
sed ut eos in fide sua solidius stabiliret. « Nec  
« enim prædixi, » inquit in persona Salvatoris, « ut  
« vim et robur mentis vestræ enervarem, sed neque  
« ut præmaturum vobis futurorum malorum terro-  
« rem incuterem; sed ut anticipatam potius eorum  
« vobis cognitionem traderem, quo duplicem hinc  
« fructum reportaretis. » Explicat deinde quenam  
ex hac anticipata prædicatione utilitates in eos  
manare possint, videlicet primo, rememorando id,  
quod vobis postea evenit, diu ante a Christo præ-  
dictum fuisse : « Manifestissimum certe fidei vobis  
« erit argumentum; nam qui futura novit, quomodo  
« non erit secundum naturam Deus? » Alia utilitas,  
quam ex illa prædicatione habetis, hæc erit, quod  
vultus prævium et prædictum minus dolerebit : « Qui  
« enim preparatus est et aliquid sibi eventurum  
« antea novit, leviori metu afficietur et quodcum-

« que grave esse videtur, facile superabit et incon-  
« cussus in ipsis laboribus animus est habiturus; »  
« præter spem enim aliquid pati, pangit acutus,  
« quocirca Psalmista, *Psal. cxviii, 60,* ait : *Paratus  
« sum et non sum turbatus.* » Ex hac quoque præ-  
scientia, inquit idem Sanctus, alius natus esse sequi  
effectus, nimirum quod non solum in fide divinitatis  
Christi confirmabuntur, verum etiam viva quæ-  
dam spes in illis suscitabitur, quæ se ab illo prote-  
gendos et ab illis adversitatibus liberandos esse  
confidere possunt.

2. — Lucas Brugensis vocem *scandalizemini* ita  
explicat, ut sensus sit : « Ut non impingatis, offen-  
« datis a fide in me, aut patientia excidatis, vel ab  
« officio testificandi de me desistatis. » Lyranus  
ait : « Scandalizare dicitur a *scandalon* greco, quod  
« significat impactionem pedis, per quam homo  
« ruit, et ad similitudinem verum, in spiritualibus  
« dicitur qui scandalizare in tribulatione, quando  
« est ei occasio cadendi per impatientiam. »

3. — Albertus Magnus ita exponit : « Ut non con-  
« turbemini, cogitantes apud vos, quod ea voca-  
« tione nihil, nisi passiones et mortes habeatis. »  
Porro Apostoli ab illo tempore, quæ a Redemptore  
nostro in ejus sequelam et disciplinam vocati fue-  
rant, nil nisi pauperatem, persecutiones, probra,  
passiones et labores experti fuerant, unde operæ  
pretium esse videbatur, ut spem in illis excitaret,  
quæ post ærumnas, consolationes subsecuturas esse  
confidere possent, *Tob., iii, 22 :* *Post tempestatem  
tranquillum facis;* cujus spei signum oderunt,  
quando ab eo sciscitanti sunt, *Act. Ap., i, 6,* dicen-  
tes : *Quando restitues regnum Israel?* Et tamen simul  
illis indicare voluit necessum esse, ut ad hoc se  
prepararent, ut nimirum ab Apostolatu contradic-  
tiones, ærumnas et supplicia tantum re-  
porterent. Et ideo S. Petrus primis fidelibus, in quo-  
nam ipsorum ad fidem vocati consisteret, his verbis  
intimavit : *In hoc enim vocati estis, quia et Christus  
passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut  
sequamini vestigia ejus.* Sciendum enim nobis est,  
quod in sua ad celos ascensione, vestigio pedum  
suorum petra illi, in qua stabat, impressa reliquit  
et quonam alio mysterio id factum esse putatis,  
quam ut nobis insinuaret, necessum nobis esse, ut  
ejus vestigiis insulamur? *Ego sum via, veritas et  
vita.* Et primo quidem nos monet, se viam esse per  
quam nobis ad ipsum perveniendum est; deinde se  
veritatem et vitam æternam esse asserit; nihil enim  
viam alii majoram afferre potest consolationem,  
maxime illi, qui viam incognitam ingredi debet,  
quam aliorum eandem viam tenentium videre  
vestigia; omnes viatores sumus, qui in hac vita  
perest, per viam nobis ignotam, nec unquam  
usurpata, ad patriam celestem proficiscimur;  
Christus autem per sua vestigia viam nobis osten-  
dit, *I Petr., ii, 21 :* *Passus est, vobis relinquens exem-*

plum, ut sequamini vestigia ejus. Unde S. Hieronymus, vel quisquis Commentariorum super Marcum auctor existit, dicit: « In monte Oliveti Christus « teneatur et inde caelos ascendit, ut nos sciamus, « quia inde ascendimus ad caelos, unde vigilamus « et oramus, et ligamur. »

4. — Porro nostra ad fidem vocatio, a tribulationibus et contradictionibus inseparabilis existit. Et ideo S. Augustinus ait: « Si putas te non habere « tribulationes, nondum coepisti esse Christianus; et « ubi est vox Apostoli: Omnes, qui volunt in Christo « pie vivere, persecutionem patientur? Si ergo non « pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne « nondum coepisti in Christo pie vivere. » S. Hieronymus optime textum illum Apostoli ponderat, in quo dicit: *Nemo movetur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi simus.* Quibus verbis S. Paulus eos, qui ad fidem Christi venerant et legem profitebantur Evangelicam, consolatur, ne ab obvis sibi persecutionibus et ignominis illatis deterreatur, eo quod haec infallibilis fidei et religionis nostrae character et nota sint: « Ae si eis « aperte dicat, » inquit S. Doctor: « Quid in hoc « tempore vulnera nostra miramini, qui, si aeterna « gaudia quaerimus, huc ad hoc venimus, ut aeterna « mur. » S. Cyprianus Martyrum cor et animum in suppliciis, quae patiebantur, erecturus, ita eos alloquitur: « Nec nova aut repentina sunt, quae nunc « accidunt Christianis, cum boni et justi semper et « Dei innocentiae lege, ac verae religionis timore « devoti per pressuras et injurias, et graves, et « multiformes infestationum penas angusti itineris « difficultate gradiantur. » Christus Apostolis suis dixerat, Joan., xv, 20: *Si me persecuti sunt et vos persecuentur; non est major servus Domino suo.* Apostolus quoque de aeterno Patre ita scribit, Rom., viii, 29: *Quos praecepit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Et ideo B. Laurentius Justinianus ait: « Nemo servorum Christi sibi adscribat ad « dedecus, si eandem, quas Dominus perferat con- « tumelias, non decet omnino, non decet Christianum, opprobriis Christi esse exsortem. Ipsum audi « quod dicit: Memento sermonis mei, quem ego « dixi vobis, non est servus major Domino suo; non « est unde queraris, si opprimaris a saeculo, dum « eadem ipsum perpressum fuisse cognoveris. »

#### Additiones.

a. — Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini, seu ut habet Syriacus, non offendamini. Scandalizari autem dicitur, qui in offendiculum incurrens impingit et cadit. Volebat Christus dicere: Cum videritis odia et persecutiones mundi insurgere in vos, ne scandalizemini, aut offendemini in me, minus bene de me sentientes, quia praemoneo vos de periculo. Ecce quanta cura et sollicitudine Dominus praecipit a discipulis suis avertere scandalum,

quo accepto, potuissent a Christo deficere: est enim scandalum fons omnis malitiae.

« Scandalum, » ut Tertullianus ipsum definit, « male rei exemplum est, edificans ad delictum. » Si quam personam laudare velimus, eamque exemplarem nominare, eam appellare solemus personam edificationis. Qualiter igitur Tertullianus astruit quod homo scandalosus aedificet? potius destruit et praecipitat. Nihilominus dicitur edificans, non quomodoocumque, sed addita particula, ad delictum. Scandala enim praeter lapides sunt cementum et bitumen quae turrim edificant Babylonicam, edificans ad delictum. Ideoque omnibus scandalosis merito exprobrari potest: *Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, qui primam machinam movens, in discrimen adduxit, ruinaeque oppressit, primitus innumerabiles Angelos, deinde protoparentes, cumque illis totum genus humanum, mortem omnibus inferens spiritualem.* Cujus monstri infernalis imitatores sunt scandalosi, quia malo exemplo suo malitiae venenum transfundunt ad alios. S. Bruno Carthusianorum Patriarcha, textum illum Apostoli, in quo Corinthiis persuadet ut scandalosum illum incestuosum e medio societatis suae auferant et amoveant, ut tollatur e medio vestrum, qui hoc opus fecit; hunc inquam textum exponens, subjungit: « Hunc et omne malum de medio vestrum; » quasi dicere vellet scandalum centrum esse et omnis malitiae nidum. Christus Redemptor noster, adversus scandalosos indignatus, his illos minis percellit: *Vae mundo a scandalis.* Circa quae verba Abulensis ad nostram eruditionem ita scribit: « Pronuntiat « hic Christus malum, quod sequitur mundo, id « est, mundanis hominibus, propter scandala, quae « faciunt, quia non curant cavere a scandalis, quae « faciunt, quasi nihil esset scandalizare homines, « cum tamen valde malum sit. »

b. — Singularem Christus Dominus semper curam gessit, ne pusillus aut inferioribus scandalum quodquam praebere. Legitur, Math., xviii, 6: *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris.* In eodem S. Matthaei Evangelio, vi, 23, legimus quod postquam Christus S. Petrum ob insignem illius de sua divinitate factam confessionem praemiatus ad summum totius Ecclesiae Pontificatum sublimasset, consignando in illius manus claves regni caelorum, paulo post eandem Satane turpissimo nomine appellavit: *Vade post me, Satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt.* At vero dicat forsitan aliquis, quomodo Redemptor noster id de S. Petro asserere poterat, qui paulo ante ex aeterni Patris revelatione dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Vallisne hujus reprehensionis et indignationis Christi causam? Ea nimirum haec est: S. Petrus

Christum a redemptione et passione, et consequenter a salute hominum procuranda impedire et divertere conatus fuerat, ac proinde ex humanae affectionis tenacitate dixerat: *Absit a te, Domine.*

#### VERSUS 2.

*Absque synagoga facient vos, sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.*

#### Absque synagoga facient vos.

1. — Albertus Magnus dicit Christum indicare velle his verbis, quod Judaei illos habituri sint tanquam excommunicatos et exleges. Etenim, Joan., cap. xi, refertur, illos jam ante legis condidisse decretum, quo statuebatur, ut omnes, qui fidem et disciplinam profiterentur Christi, et synagogis turpiter ejicerentur, vel idem futuri essent, ac si inter nos interdicti essent et excommunicati.

2. — S. Augustinus idipsum in Apostolorum laudem et praeconium cedere interpretatur; dicit enim: « Quid enim mali erat Apostolis expelli de « Judaicis synagogis, quasi non fuerint inde exiituri « etiam si eos nullus expelleret? sed voluit denun- « tiare, quia Judaei Christum non fuerant recepturi « a quo isti non fuerant recessuri. »

3. — Porro Hebraeorum synagogae succedere debebat Ecclesia, merito igitur Apostoli ab illa fuere exclusi, qui fundamenta et capita futuri erant Ecclesiarum Christianismi, synagogam deserendo; unde denominantur: *Ecclesiarum Principes; plantaverunt Ecclesiam sanguine suo.*

4. — Toletus dicit, quod ex quo Christus illis Spiritum Sanctum promiserit, cum venerit Paracletus, et subjunxerit: *Ut non scandalizemini,* videri merito possit, Christum illis e contra debuisse Apostolos potius ad synagogas invitandos, et ab ea comiter excipiendos esse: « Quis non expectasset post « promissum Spiritum Sanctum, tante potentiae, et « scientiae, et bonitatis; et post verbum: *Non scandalizemini,* dicitur Christum: In synagogis vos « recipient, omnes ad vos proclives current, bene- « volentia et obsequio afficiet? » Et tamen praedicit, promittit, imo quoad videtur, desiderat illis omnino contrarium: *Absque synagoga facient vos; venit hora, ut omnis qui interficit vos, etc.* Cur autem id facit? « Multo aliter divina Sapientia de « rebis judicat, quam mundana. Majus beneficium, « et majus opus fuit, discipulos fortes facere in « morte subeunda, et letos aggredi pericula, omnia « hujus mundi bona contemnere, quam impedire, « ne occiderentur; illud Apostolos fecit beatos, non « hoc; illud reges terrae facere potuerunt, non autem « istud, plus igitur Spiritus Sancti virtus splendet « in morte contemnenda, quam impedienda, in « sustinendis laeto animo afflictionibus, quam in « avertendis. »

5. — In praecedenti Evangelio Dominicae quinta post Pascha, egregium legimus affectus Dei Patris erga Apostolos testimonium; dicit enim ibidem Salvator noster: *Ipsae enim Pater amat vos, quia vos me amatis.* Idipsum Christus quoad semelipsum eisdem dixit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos;* at vero ubinam haec paterni affectus sunt demonstrationes? « Probatio dilectionis, exhibitio est operis. » Imo non solum Apostolis nullus reipsa fuit favor exhibitus, quin potius in ipsis adimpletum fuit, quod postea S. Apostolus scripsit, Heb., xii, 36, nimirum: *Ludibria et verbera experti, insuper et vinculo, et carcere, lapidati sunt, secti sunt, in occasione gladii mortui sunt, etc.* Et quod amplius est, non solum Filius Dei gavissus est, videndo illos dilaniari, excoriari, cruciungi, verum insuper idem, licet boni Pastoris titulum sibi vendicari, de se tamen, quod illos tanquam totidem innocentes oviculas, in ipsas luporum fauces adegerit protestatus fuit, dum ait, *Matth., x, 16: Ecce ego mitto vos, sicut oves, in medio luporum.* Respondendum est igitur, totum hoc verum esset, ita tamen quod illos Spiritu Sancto, veluti impenetrabili lorica armatos, leonino quodam corde donavit, tantisque Paradisi consolationibus ac delictis cumulari, ut eosdem inter medios acerbissimorum tormentorum cruciatus jubulare et exultare fecerit, ut proinde sacer textus de illis expresse dicat, *Act. Ap., v, 41: Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitii sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Hi ergo sunt eximii illi favores et gratiae, quas Deus dilectis suis Apostolis contulit. Prius ergo dicit: *Cum venerit Paracletus,* et postea praesagiendo subjungit persecutiones et arumnas, quibus pro ipsius nomine exagitandi deinceps erunt. Et ideo, ut Chrysostomus, de Pent., notat, non dicit Apostolis: « *Ite in « medium luporum, sed, ecce ego mitto vos, etc.* » Timorem illorum uno sermone abstulit: Non « dicit, *ite;* nec enim propria ipsorummet virtute « mittebat eos; sed, ecce, inquit, ecce ego mitto vos; « infirmi quidem vos, sed qui mittit, potens est. »

6. — Etenim Apostoli, postquam a Christo in ejus Ascensione apertus esse Paradisus, universum genus humanum ad beatam aeternamque vitam comparandam, animare et invitare debebant, ideoque opus erat, ut unicam hanc illi ostenderent eo perveniendi viam, scilicet pati pro Christo, pro quo eodem torquari, cruciari et mori.

7. — S. Ambrosius de Martyribus dicit: « Nunquam hanc vitam tam constanter expenderent, « nisi esse alteram incomparabiliter beatiorum, « perfecta definitione sentirent. » Eusebius Emissenus eorum tormentorum, quae servi Dei veritatis Evangelice luce illuminatissimi, sustinuerunt, atrocitatem considerans, ait: « Clamat ulgus Christia- « norum cordibus sanguis piorum, sanguis spiri- « tualium bellatorum, quantum debeat amari

« Deus, » et paulo post subiungit : « Ut vel sic intelligamus, quantum debeat desiderari vita illa quam per cruciatum, per vulnera, per intolerandos labores videmus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari. »

8. — S. Cyrillus Alexandrinus hanc persecutionem, et mortis predictionem, ad majus Apostolorum solatium, animique firmitudinem inferendam, ordinatam fuisse his verbis asserit : « Vim et ratio nem sermonis utiliter convertit ad preparandos et munidos adversus ingruentes casus, animos; nam quod repente ac præter spem ingruit, etiam constantem animum turbare potest, prævisum vero, et certe spe expectatum, levius ferit. »

*Venit hora, ut omnis, qui interfecit eos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

9. — Lyranus hæc verba duobus modis intelligi posse observat : nimirum vel de vero Deo, adeo ut Judæi perfidia sua totaliter execrati, se acceptum illi sacrificium immolatorios esse, sibi persuaserint, dum Apostolos sæve ac crudeliter tractarent, mortemque eisdem inferrent, quamvis ignorantia isthæc illos excusare minime poterit; vel etiam intelligi potest de diis gentium, qui Christianos crudeliter dilaniando, et e mundi medio totaliter auferendo, se Jovis, Saturni, aut aliorum profanorum numinum gratiam sibi acquisitos esse existimabant.

10. — In Actibus Apostolicis, xxiii, 12, quadragesima Judæi simul inter se conjurasse leguntur, quod ex quo Paulum legi veri Dei contumaciter rebellem esse credebant, nec manducare vellent, nec bibere, donec eumdem reipsa occidissent. S. Lucas autem hanc historiam describens hac phrasi utitur : *Deverunt se, quia per hanc conjurationem se divini honoris zelo accensus esse probare voluerunt, prouti ex illa, quam coram summo Sacerdote fecerunt, protestatione clarius liquet; dicebant enim : Devotionem devotissimi nos. Idem S. Paulus, etiamnum Saulus existens, magnum se apud Deum meritum comparatum esse credebat, si Apostolos et discipulos Christi, crudeli, ut cõperat, persecutione infestaret, Gal., i, 13 : *Supra modum persequabar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Saulus adhuc spirans minarum, etc.**

11. — « Sed qualiter ait : *Venit hora, in præterito?* » querit S. Bonaventura, et respondet Christum ita locutum fuisse ob temporis brevitate, quod illorum persecutionibus interdicebatur; citatque S. Augustinum de genilibus dicentem : « Quando tormenta atrociora erant, tanto magis in Martyribus resplendebat divina gratia efficacia, tantoque gloriosior erat palma, et pretiosior ac ditior, que capiti Martyris imponebatur corona. Unde S. Cyprianus, de Epiphana, ait : « Sic Sancto- rum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur,

« tur arbitrari; revera inimici Christi, et Patris ipsius Dei interficiendo discipulos ejus, arbitrantur obsequium se præstare Deo, id est, judicabant, « quamvis contra scientiam suam, sic placitum esse Deo, scilicet prætendendo quasi necessariam loci vel gentis causam; ita enim in Christi condemnatione fecerunt, quando in cause ejus discussione, inter se consilia agitarunt, Jo., xi, 48, dicentes : *Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem.*

13. — Cajetanus observat, quod, tametsi « mors est ultimum terribilium, » nihilominus « horribilius valde redditur, quod tanquam inimici non deorum, qui demones sunt, sed veri Dei, interfectio imminens pronuntiatur, usque adeo, ut inter religionis opera, quibus Deus colitur, habendum sit interficere vos; » at vero hoc, quod vel maxime Apostolos affligere poterat, erat, quod scribit Albertus Magnus : « *Ut omnis qui interfecit vos, tanquam maleficos homines, et nocivos; nimirum incarnata Sapientia Apostolis, qui ipsi dilectissimi erant, omnibus illis motivum aliquod consolationis relinquere voluit, qui hic in terris tanquam Deo rebelles et perversi calumniis asperguntur, infamantur, et persecutiones patiuntur, licet revera fideles ipsius servi sint, et magna vite sanctitate coram Deo effluant, Matt., v, 12 : *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis.**

14. — S. Cyrillus Alexandrinus ex eo, quod tyranni se tanto majorem conciliaturos esse gratiam et amicitiam Dei credebant, quanto Apostolos magis torquebant, infert, ad quantam sevitiem tormenta et persecutiones Apostolorum pervenerint : « Impietatem illorum eo processuram prædicat, ut in summam in eos crudelitatem, pietatis erga Deum iter esse putent; eo improbitalis erumpet illorum audacia, ut mortem vobis intentare, cultus divini loco habeant; » at vero Deus noster, de quo S. Augustinus ait : « *Melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere,* » persecutorum impietatem et atrocissimum tormentorum carnificiam, in sublimiorem servorum suorum gloriam convertere novit, adeo ut in supplicis, craticulis, equaleis, patibulis, haud secus ac in curribus triumphalibus exultarint. Unde de S. Laurentio S. Leo scribit : « *Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicii?* » quando tormenta atrociora erant, tanto magis in Martyribus resplendebat divina gratia efficacia, tantoque gloriosior erat palma, et pretiosior ac ditior, que capiti Martyris imponebatur corona. Unde S. Cyprianus, de Epiphana, ait : « Sic Sancto- rum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur,

« qui, dum putat, perdere quos occidit, melioris vite statum eis procurat, quod ille in perditionem non meminit, hi utuntur pro beneficio. » Et Eusebius Emisenus de S. Blandina, Hom. iv, scribit : « *Ecce profans hostis, nequaquam ei tantum prodesse potuisset obsequium quantum profuit gloria; » et paulo post subdit : « *Quantas suscepunt in corpore penas, tantas in spiritu perciperunt coronas.* » Quis non videt tyrannos, nolentes, nec scientes quid facerent, Martyres pro fide et religione Christiana dilaniando et comburendo, Deo obtulisse sacrificia, imo et holocausta? Per sanguinem, quem effundebant, simul Evangelium diffundebant per universam terram. Unde S. Hieronymus ait : « *Cum quis viderit, tanta perseverantia stare Martyres, atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriosi, odor notitie Dei disseminatur in gentes, et subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium nunquam sanguine defenderetur.* »*

15. — Considerandum insuper, quod Christus prius mentionem faciat Spiritus Paracliti : *Cum venerit Paraclitus, et paulo post tormenta predicat, et martyrium, ad denotandum, futurum esse, ut, dum ipsi dilaniantur a carnificibus, Deus illos interius sil confortaturus, eosque glorificaturus in celo et in terra.* Eusebius S. Romanum martyrem hunc in modum nobis describit : « *Magnanimus et intrepidus, ferens secum in ore quidem judicium mortis, sed in corde pretium immortalitatis. Quæ ista rerum, et quam stupenda diversitas est? Corpus pro anima expositurus unus atque idem, et poenæ eum causam portat et gloriam, extrinsecus affligendus, intrinsecus coronandus.* » Quoniam, obsecro, causa fuit, quod Spiritus Sanctus per Apostolos descendens, capitibus eorum incederet, *sedique supra singulos eorum?* S. Cyrillus Hierosolymitanus dicit : « *In specie linguarum ignearum sedit super illos, ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponatur capiti eorum, » ita tamen, ut diademata ista tormentis et martyriis medianibus sibi acquirant.*

16. — Nullus adeo sollicite Filio Dei inservivit, aut erga eum adeo obsequiosus et obediens fuit, sicut universum Apostolorum collegium; in eo namque si uspiam alibi vera vigeat perfectio et sanctitas vita, et tamen Apostolorum amantissimus Magister, qui discipulos suos tenerrime amabat, hodie illis remunerationis et præmii loco, strages, supplicia et mortem antunnat. Vult enim, ut exinde videamus, quod, quantumvis quis divini honoris zelo exarserit, aut præceptorum divinorum et Ecclesie, Evangelicorumque consiliorum exactissimus executor fuerit, non tamen propter hoc honoribus, sed potius erumnis, Deo ita disponente, subjacebit. S. Bruno de mundi sequacibus scribit, quod idem de electis quoque dicere possumus :

« Hæc est ejus propria et singularis consuetudo, « ut, qui plus ei inservit, et majora ac graviora tormenta ab eo patiantur : *Quoniam acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Tob., xii. » Eodem tempore, quo sanctus Apostolus vas electionis declaratus fuit, passio quoque et mors illi intimata fuit : *Ego ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati.* Act. Ap., xi, 16.

17. — Quod si sanctos Apostolos et Martyres cum Judæis pertinaciter incredulis, cumque impiis et sceleratis comparaverimus, invenimus quidem hos servus Dei semper fuisse superiores, utpote qui ab illis misere dilaniati et cruciati fuerunt; verumtamen, ut bene S. Augustinus, *Serm. lxxvii de temp.*, advertit : « *Mali servituti bonis non obsequendo, sed persequendo, quomodo lima vel mallei auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur.*

18. — Enimvero certum est, Judæos minime se excusare potuisse, dicendo quod Christum verum Messiam esse minime agnovissent; siquidem ipsemet Salvator de ipsis dicit, *Joan., xv, 22 : *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.** Et quidem divina dispositione utique factum est, quod Pilatus multum coram perspicue dexterit, prout Evangelista hand obscure indicat, dum ait, *Matt., xvii, 18 : *Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum.** Unde clare licet colligere, quod verba illa Salvatoris : *Arbitretur se obsequium præstare Deo, idem significant, ac si clarius diceret : *Mundo persuadere satagunt, se ad mortem Apostolis inferendam, per pretextum et zelum religionis moveri, cum tamen revera in multis eorum adimpletum fuerit, quod communiter dicitur : *Passione movetur, et zelum putamus; » ideo merito Deus lamentari de illis poterat, dicendo, *Isa., xlii, 24 : *Servire me fecistis in peccatis vestris; siquidem divini cultus pretelexit utebantur, ad invidiam et malignitatem suam celandum et abscondendam. Et ideo S. Augustinus hæc eadem Evangelii verba glossando, eos reprehendit, dicens : « *Obsequium se putant præstare Deo, interficiendo famulos Dei. O error horrendus! Itane Deo, percuteris placentem Deo, et templum Dei vivi te feriente prosternerit, « ut Dei templum lapideum deservat? »******

#### Additio.

a. — *Absque synagoga faciunt vos.* Præmissa jam admonitione et tanto Spiritus Sancti auxilio promisso, clarius Christus Dominus refert persecutiones futuras : *Absque synagoga faciunt vos; id est, ejicient vos. S. Augustinus, tract. xciii, a synagoga ejicient vos* estimat dictum ad consolationem Apostolorum, ac si diceretur : *Judæi vos ejicient ex invidia nominis mei et doctrina vestra; sed ego vos colligam in novum populum mihi electum.* Hæc est

divina bonitas, ut ex malis, quae impii et mundani contra justos machinantur, praecleara bona in eorum gloriam et exaltationem eliciat.

Divinae justitiae severitas detestabilem fratrum Josephi, ipsum pro vili pretio vendentium, excessum castigare volens, nullam aliam illis penam imposuit, praeterquam Josephi ad regnum sublimitationem et exaltationem, ut scilicet viderent impletum esse somnium, quod unicum fuerat livoris ipsorum motivum: « Solet enim Deus invidos torquere, » inquit Oleaster, « augendo bona in quibus invident. Non sat fuit ei Joseph ampliori dilectione facere dignum, sed ostendit fratribus fore eum eis preponendum in regno. » Divina enim et infallibilis caeli providentia iisdem mediis quibus ipsi uti staturant ad evanidanda Josephi somnia, ipsa ad eum exaltandum, et ad somnia Josephi ad majorem ipsorum rabiem et tormentum adimplenda usa fuit. Enimvero, postquam in Aegypti carcere restricti haerebant, male conscientiae quidem confessi sunt cruciatum qui eos tot annis interius torserat. Unde dicebant: *Merito haec patimur quia peccavimus in fratrem nostrum.* Ultra haec tamen penam aliam experti sunt, longe intensiorem, illam videlicet quam livor eis accersebat: « nam gravis haec afflictio est, » inquit S. Chrysostomus, de eodem Josepho loquens, « et quando animam invaserit, non prius eam relinquit, donec nec in extremam absurditatem eam inducat; et ledens animam, a qua nata est, omnino aliter eum cui invidet afficit, quam vult, nempe clarior, nobilior, illustriorem reddit. Unde iterum plaga gravior invidio nascitur. »

#### VERSUS 3.

*Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*

1. — Rupertus Abbas Tuitiensis haec verba de odio exponit, quo Judaei erga ipsum et Patrem suum aeternum ferebantur, quasi Salvator clarior dicere vellet, hoc unicum futurum esse, persecutionis in Apostolos movendae motivum: « Ac si dicat: Idcirco vos non solum absque synagoga facient, sed etiam interficient, quia oderunt me, et Patrem meum; cum enim supra dixerit: *Nunc autem viderunt et oderunt me, et Patrem meum;* itemque: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* non utique ignorantiam excusat, sed odium cognoscere nolentium condemnat, dicendo: *Quia non noverunt Patrem, neque me.* »

2. — Chrysostomus, *Hom. LXXVI in Joann.*, ut discipulos ad quamvis adversitatem constanter tolerandam excitet, rationem satis potentem et efficacem in persona Salvatoris, his verbis adducit: « Hoc vos satis soletur, quod propter me et Patrem

« hoc patiamini; si quis pro charissimis aliquid passus est, glorietur; si quis propter Deum quid tolerat, quam sentire molestiam putandum est. »

3. — Per hoc verbum, *noverunt*, agnitionem interpretari possumus, *Evad.*, 1, 8: *Surrexit Rex, qui ignorabat Joseph, id est, se erga beneficia illi regno collata, gratum in ipsum non exhibuit: eodem modo de Judaeis dicere possumus, qui imensa a Deo recepta beneficia per ingratitude summam semper compensarunt, prout ipsemet in principio prophetiae Isaiae graviter conqueritur.*

4. — Unica causa, ob quam Deus adeo temere et faciliter offenditur, est, quia non cognoscitur; non cognoscitur autem, quia lumen et notitia ejus plane negligitur. Si enim anima aliqua hanc notitiam haberet, utique eum mortaliter offendendo, adversus eum non armaretur. Prima praeda, quam Antiochus verus inimicus infernalis, e templo Hierosolymitano sustulit, fuit candelabrum luminis, *I Mach.*, 1, 25: *Acceptit candelabrum luminis, ut erinde intelligemus, quod primum, quod demon facit, postquam in mysticum animae nostrae templum aditum accepit, hoc sit, quod videlicet hoc lumen notitiae Dei ab eadem auferat; corvus pariter hanc habet proprietatem, quod mox, ut cadaver aliquid deprendendum invasit, oculos ejusdem erutos devoret. De protoparentibus nostris, a tortuoso serpente in ipsorum praevocatione seductis Spiritus Sanctus dicit, quod, postquam in conspectum Dei venerunt, *Aperti sunt oculi amborum, quia, ut optime Origenes meditat: « Quos prius habuerunt perpicuos » animae oculos, fruantes Deo, et Paradiso, eos, ut « opinor, propter peccatum clausurunt. » Lux obtenebrescit, inquit Job, xvii, 7, de homine Deo rebelle, in tabernaculo illius, et lucerna, quae super eum est, extinguetur, quid autem ex hac obscuritate tandem consequitur, lapsus enormes in praecipitia horrenda, quia nullum deinceps est peccatum adeo enorme, quod non committat: *Et praecipitabit eum consilium suum.***

5. — Apostolus Hebraeis veram personam Christi notitiam defuisse existimat, *I Cor.*, ii, 8: *Nemo principum hujus saeculi cognovit, si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent, Plurimas quidem habebant occasionis credendi ipsum vere esse Dei Filium, attamen in ignorantia et caecitate sua persistere maluerunt, ut tanto liberius suam adversus ipsum conceptam invidiam et malignitatem evomere possent, et ideo ignorantia eorum plane affectata fuit, impossibile enim est, quod qui divinitatis et majestatis illius supreme lumen et notitiam habet, eandem offendere possit. Et haec est causa, cur peccatum erroris et ignorantiae titulo appelletur: *Delicta juvenutis meae, et ignorantis meus ne memineris; delicta quis intelligit?* S. Ambrosius legit, *lapsus*. S. Hieronymus vertit, *errores*. Aquila habet, *ignorantius*. Davidem, quae,so,*

tum in statu peccati, tum in statu gratiae et amicitiae Dei consideremus: dum enim Regis huic adulterii peccato immerso annuntiaretur totum ejus dissipatum esse exercitum, et inter caeteros fideles homie milites etiam occubuisse Uriam, cujus ipse homicida fuerat, parum inde conturbationis pensensit: *Non te frangat ista res;* at vero quando Dei lumine illustratus pro vitae suae defensione Saullem occidere poterat, non solum id non fecit, sed cum regiae vestis lymbum, seu fimbriam duntaxat praescidisset, statim percussit cor suum, eo quod *abscidisset oram chlamydis Saul;* et ideo de statu peccati, in quo erat, loquens, ait: *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Hugo Cardinalis circa illa verba: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* dicit: « Hoc lumen relinquit » hominem propter peccata ejusdem. » Semper mihi visa sunt valde admiranda illa Josephi verba, quibus se dominus suae, cum ad secum peccandum non tam exstimulanti, quam violenter cogere volenti, opposuit; illa enim eam alloquebatur, *Gen.*, xxxix, 9: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in me sit potestate, praeter te, quae visor ejus es; quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* Imitetur quilibet anima hanc Josephi pro tuenda innocentia conscientiae suae generositatem, proponat sibi ob oculos immensa et infinita, quae a Deo Creatore et Redemptore suo recepit beneficia; reflectat se ad divinam ejus omnipotentiam, bonitatem, majestatem, justitiam, infinitatem et aeternitatem, omnia quae alia divina attributa illius, hoc enim si serio fecerit, certo experietur, quod mox, ubi aliqua ei ipsum offendendi suggestio in mentem obvenerit, apud se in corde diciturus sit: *Quomodo possum, etc.* Quanto enim hoc lumen majus fuerit, tanto major quoque timor et reverentia erit, quam erga Deum homo concipiet.

#### Additiones.

a. — *Haec facient vobis quia non noverunt Patrem neque me.* Nulla ratione certe mirandum est quod Judaei tam fuerint credules in discipulos Domini, quia scire noluerunt Patrem Christi esse Deum, neque Christum esse Filium Dei. Quod tamen tantis miraculis ac Prophetiarum vaticiniis ac rationibus ipsis probatum fuit. Ita quoque mirandum non est quod plerique homines tam sint in animas suas crudeles, ut illas pro levi voluptacula aeternis mancipare non vereantur incendiis; siquidem non sciunt, aut cum possent, nolunt scire quantum sit animae etiam unius pretium. Modica enim aestimatio quae animam appetitur, ex modica oritur notitia quam ex defectu applicationis nostrae de ipsa habemus. Vir ille qui secundum cor Dei erat,

ille ipse est qui ait: *Anima mea in manibus meis semper.* *Psal.* cxviii, 103. Animam coram se positam esse et in manibus a se portari dicebat, ad eum modum quo rem aliquam pretiosam nobisque unico charam in manibus portare solemus, seu quod idem est, seriam valde circa animam propriam reflexionem habebat, atque ideo tantopere gratus acceptusque erat, ut de eo diceret: *Inveni virum secundum cor meum.* Idem quoque universo generi humano summa quae poterat cum eloquentia inculcare nitebatur, ut tantum thesaurum qualis est anima, toto animi conatu consideraret, eique custodiendae incumberet, ideoque omnes ad se auscultandum convocabat dicens: *Venite et narabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea; ut sciat: « Narabo quanta fecit anima mea, ut sciat: « tis quid faciat vestre, nisi per vos steterit. »*

Terribilis est illa a Sponso sponsae suae in sacris Canticis, intentata comminatio: *Si ignoras te, o pulcherrima, inter mulieres, inquit, egredere, et abi post vestigia gregum et pascere haedos tuos;* quasi dicere vellet, anima quae sui pretium, valorem, nobilitatem et dignitatem non agnoscit, eo tandem prolabitur, ut sensualitati et brutilibus appetitibus suis in praedam cedat. Et certe unica haec causa est, cur tot innumerabiles animae perantur. Unde S. Leo merito exclamavit dicens: « Expergiscere, o homo, et dignitatem tuam agnosce naturae. »

Porro causa cur protoparentes adeo velociter ex dignitate adeo sublimi, qualis status innocentiae et justitiae originalis erat, prolapsi fuerint, haec unica fuit, quia videlicet inestimabilem illum animae suae thesaurum non agnoverint, nec pro dignitate sua et merito aestimarint; siquidem illa ad imaginem et similitudinem Dei creata fuerat, ut prout illis dici poterit: *Estis sicut dii.* Unde David, *Psal.* xlviii, 13, postquam dixisset: *Homo cum in honore esse non intellexit, mox praecipitium, in quod turpiter corruerat, subjungit dicens: Comparatus est jumentis insipientibus et similibus factus est illis.*

b. — Hoc verbum, *noverunt*, importat beneficiorum cum gratitudine recognitionem; sic enim dicitur de Pharaone: *Surrexit rex, qui non noverat Joseph.* Utique cognoscebat illum, cum adeo publica esset ejus famae notitia, sed indicat quod beneficia non consideravit, quae regnum illud a Joseph perciperat; atque hoc modo potest Christus de multis conqueri quod non noverunt Patrem, neque ipsum; nam etiam hodie, quod Pater nobis suum tradidit Filium, et Filius suam nobis tradidit vitam, et sanguine suo nos redemit, non attendunt, nec considerant; unde etiam ad alia beneficia percipiendam inhabiles reddimur. Ingratitudo enim gratiarum Dei arefacit fontem, dum ingratum illi recipiendis fruentisque indignum facit. Ratio autem, quare ingratitude steriles faciat, caeteroquin benignos nimis, beneficentiae divinae influxus, consistit in eo

quod debita in nobis deficiat correspondentia et cognitio; quis enim unquam super infocendam seminavit arenam? Aut super saxa sufficienti ad sementem nutriendum aut fructificandum, humore destituta? Sane Salvator noster se Filium professus est Patris illius, qui hanc agricultricam professionem optime callebat: *Pater meus agricola est.*

## VERSUS 4.

*Sed hæc locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.*

1. — S. Augustinus, *tract. xciii in Joan.*, ait: « Hora eorum, hora tenebrosa, hora nocturna, sed « in die mandavit Dominus misericordiam suam et « in die declaravit, quando nox Judæorum separatum a se diem Christianorum nulla confusione « fuscavit, et quando carnem occidere potuit, fidem « tenebrare non potuit. »

2. — Porro hæc futurorum eventuum ipsorum prædictio, non solum eo ordinata fuit, ut se patientia obarmarent, sed etiam, ut quam ex illis pensari erant animi angustiam in eis, per eandem sublevaret. Unde Albertus Magnus ait: « Continentia verborum Domini confirmat fidem in ipsum, « et immobilitatem cor a dictis, et facit, ut ea etiam, « que ab hostibus fiunt, minus lædant; » adducit S. Gregorii auctoritatem, dicentis: « Jacula prævisa « minus ferunt et nos tolerabilis mundi mala suscipimus, si contra hæc præsentie clypeum præmunimur. » S. Cyrillus Alexandrinus similiter ita scribit: « Optima et utilissima est illa prædictio, « que gravium malorum melum præmolliit et quasi « jam ea expertos ad animi virtutem revocat, refrigerescit enim quodammodo periculi æstus ante « prævisus, et lenius invadit. »

3. — S. Thomas, in *Joa.*, prædictionem hanc ad duo præcipue magnopere conduxisse scribit. Primo enim, dum in tribulationibus positi, ea, que

in Christo prædicta fuerant, mente recoluerunt: « Cognoverunt ejus divinitatem et magis confisi « sunt de ejus adjutorio. » Secundo, ob presenciam, quam habuerant de malis imminentibus, minus ex iisdem perpeSSI sunt afflictionis: « Sic ergo « duplici de causa, tribulationes præannuntiat, ad « spem eorum sublevandam de ejus adjutorio et ad « tristitiam minuendam. »

4. — Hugo Cardinalis verba illa in hunc modum explicat: « Prædixi, ne ignoretis, et ut ab his etiam « cætera credibilia astimetis, quia ego dixi vobis, « ut credatis me esse Deum, qui hæc præscivi, et « ut sit vobis consolatio, ea præscivisse. » Tametsi enim illis persecutiones et strages tam ab Hebræis, quam a Gentilibus inferendas præannuntiarit, simul tamen eodem tempore illos consolatus est, tum per anticipatam illam prædictionem, tum per communitatem illis de divinitate sua, fidei certitudinem et securitatem, I *Cor.*, x, 13: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Mundus vero illius, quod benignissimus Salvator noster prestitit, omnino oppositum facit. Hic enim rosam exhibet, id est, gaudia, delicias et voluptates, que nobis blandiendo nos decipiunt; sed spinas periculorum et adversitatum, quas annexas habet rosa illa, abscondit. Christus e contra prædicit adversa, at vero exitum promittit et prædicat favorabilem et Spiritus Sancti auxilium.

5. — Salvator noster laboriosam et ærumnosam Apostolorum vitam, horam appellat: *Ut cum venerit hora eorum*, etc., quia verissimum est, quod si illa cum vita æterna et celesti beatitudine comparetur, omnis tribulatio, quantumcumque gravis, aut longa fuerit, brevis et momentanea esse unicuique videbitur, II *Cor.*, iv, 17: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

## FESTUM SACRATISSIMUM PENTECOSTES

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XIV, VERS. 23

23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me Patris.

25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens.

26. Paraclætus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderitis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis.

30. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quiddam.

31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut dedit mihi Pater, sic facio.

## Explanatio hujus Evangelii desideratur.

## VERSUS 23.

*Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

## Additiones.

a. — *Si quis diligit me*, etc. Difficultas hic est, quod cum fide catholica pro certo tenendum sit, quod Deus nos prius amat, quam ipsum amemus, juxta illud Joannis, I *Epis.*, iv, 19: *Ipsè prior dilexit nos*; nam per suum eximum amorem, Deus nos prevenit, intellectum illuminando, voluntatem accendendo, ipseque per auxilium suum nos excitat, ac promovet, ad fidem, charitatem, penitentiam, ac contritionem, ipseque ad eliciendum actum fidei, charitatis, penitentie, nos adjuvet. Cum ergo prius sit amor divinus, cur ergo Christus amorem, de illo insituens, suum erga nos non exprimit, sed prius nostrum apponit? Morali ratione respondetur. Ille primus Dei amor est donum mere gratuitum, ex summa ejus liberalitate, ac pietate in nos descendens: *Ipsè gratis dilexit nos*. At noster amor, obsequii ac famulatus rationem induit. Illius nos igitur volens reddere memores, ad gratitudinem excitare voluit, ut illa, que ingratis destinata sunt, supplicia evadamus. Quo enim majora sunt beneficia, eo severiora sunt supplicia ingratorum.

Inter omnes mundi nationes, nulla est, que excellentioribus a Deo beneficiis affecta fuerit, quam natio Hebræorum. Unde David inquit, *Psal.* cxlvii, 20: *Non fecit taliter omni nationi.* At vero quia se erga Deum ingratis simam exhibuit, merito est, et erit in finem usque sæculorum omnium miserabilior et vita perosior: « Judæi enim ingrati « tissimi de beneficiis Christi, » inquit S. Antoninus, « ut eum crucifigerent, capta tandem Jero- « solyma, post mortem innumerabilium, ferro, « peste et fame dispersi sunt per orbem. » Legatur *Psalms* cv. Ibi namque David innumerabilia refert bona, quibus Hebræos adauxit, quibus detestabilem eorum contra ponit ingratitude. S. Antoninus insuper considerat quod tametsi Dei iram multis criminibus horrendis irritarint, nimirum murmurando contra ejus providentiam, adorando vitulum aureum et alia idola, etc., nihilominus sive per intercessionem Moysis, sive per supplicia de eis a

principibus extraneis, cui subjecti fuerunt, desumpta, vel per alia severa flagella eos percutiendo, non taliter exterminati sunt. At vero quando beneficia ad summum usque excreverunt, adeo ut Deus illis Unigenitum Filium suum miserit, tunc, « addentes summam ingratitudinem, Deus disper- « sit in universum in servos et ancillas, destructa « usque ad fundamenta civitate Jerusalem. » Subdit vero idem Sanctus: « Hæc autem facta sunt propter « nos, ait Apostolus, I *Cor.*, x. Fuit enim iste populus figurativus populi Christiani. Unde ita « demum evenit Christianis et pejora, si ingrati « fuerint inventi. » Tum enim severissimum merito timere debemus supplicium quando multis ab eo cumulati beneficiis, conscientia nos ingratos fuisse redarguerit.

Davidem considerare libet, solius adulterii et homicidii reum, et nihilominus gravi propterea subjectum punitioni, prout Nathan Propheta ex parte Dei illi denuntiavit; quævis enim, dum rex proferebat verbum peccavi, audire meruerit: *Domine quoque transtulit peccatum tuum*; hoc lamen de culpa, non vero secundum penam intelligitur; siquidem postmodum adimplete fuerunt penæ sequentes: *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum: suscitabo super te matrem de domo tua, tollam uxores tuas in oculis tuis*, etc. Nonne plures alii execrabiliores, pluresque admiserant excessus; et nihilominus justitia divina suum contra eos non exeruit mucronem adeo severum? Quo itaque tam differentis supplicii est ratio? Audite D. Chrysostomum, qui illi Psalmistæ confessioni: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci*, intentus ita discurret: « Multa et ampla beneficia a te accipi; contrarius « autem rebus vicem tibi rependi. » Moxque subjungit idem S. Doctor, inquit: « Maxima iniquitas adversum ipsummet Deum a quo electus, ac « rex effectus fuerat; recte autem adjunxit: *Malum « coram te feci.* »

b. — Non tantum de dilectione hic nos monet Dominus, ut ad gratitudinem excitet, sed etiam illud insinuat, per quod grati esse possimus, dicens, *sermonem meum servabit*; quia si amorem Dei erga te reciproco amore in vicem gratitudinis recompensare volueris, mandata ejus infallibiliter observabis; nam beneficiorum divinarum cognitio legis divinæ observantiæ cooperatur; modo cum